

tam vitae praesentis, quam futurae successionis volumus notionem pervenire, quod constituti coram nobis fideles et dilecti Hermannus et Meynhardus fratres burgravi de Mysna humili nobis precum instantia supplicarunt, quod quatuor marcas census annui in villa Messowe sitas, per ipsorum genitorem felicis memoriae cappellae sancti Georii in opido Lesnitz ob suae remedium animae donatas seu dotatas, cappellae sanctae Margarethae, annexae curiae maioris praepositi in Misne et cappellae sancti Johannis baptistae ibidem, cuilibet cappellarum iam dictarum duas marcas cum medietate pertinentium ad ipsas appropriando confirmare dignemur, maxime cum alios certos redditus memoratae cappellae sancti Georii in Lesnitz in vim recompensationis et restauri dicti census diocesani, patroni nec non ipsius cappellae rectoris accedente consensu mutuo deputassent. Nos igitur dictorum Hermannii et Meynhardi fratrum de Mysna burgravorum precibus favorabiliter inclinati, dumtaxat cum ex eo divini cultus nominis augeatur, dictas quatuor marcas reddituum, cum omnibus iuribus, utilitatibus et pertinentiis dictis sanctae Margarethae et beati Johannis baptistae in Misna cappellis ad omnipotentis dei laudem suaeque matris Mariae honorem damus, et donando earundem dominium transferimus in rectores ipsarum pleno iure, ita tamen quod in qualibet praedictarum duarum cappellarum per singulas noctes una lampas ardens perpetuis temporibus habeatur, dantes in praemissorum evidentiam plenior praesentes litteras sigillo nostro maiori fulcitas rectoribus cappellarum praedictarum, praesentibus fidelibus et nobis dilectis domino Alberto de Lysnik burgravio, ecclesiae Misnensis praeposito, domino Lud. de Schenkenberch, tunc curiae nostrae prothonotario, Henrico de Kungisvelt, Othone de Kothewitz marsalko nostro, militibus, vocatis ad hoc specialiter et aliis pluribus fide dignis. Actum et datum ab incarnatione domini anno M°.CCC°. vigesimo nono feria III. infra octavam beatorum apostolorum Petri et Pauli.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem grossen Reitersiegel an einem Pergamentstreifen.

No. 401. 1329. 7. Aug.

*Markgraf Friedrich stiftet für Ludwig von Schenkenberg eine neue Domherrnpfründe, überweist derselben den Kleinzoll zu Grossenhain und trifft Bestimmungen über die Vertheilung der Einkünfte aus demselben bei dem Jahrgedächtnisse seines Vaters Friedrich, seinem eigenen und dem Ludwigs von Schenkenberg, sowie über Weiterverleihung der Pfründe.*

In nomine domini amen. Nos Fredericus dei gratia Thuringiae lantgravius, Myssnensis et Orientalis marchio dominusque terrae Plyssnensis, tenore praesentium recognoscimus et ad notitiam hominum tam praesentis aetatis quam futurae successionis cupimus pervenire, quod cum prae omnibus domus dei decorem et divini cultus amplitudinem summo studio promotive diligere debeamus, domino Ludewico dicto de Schenkenberg primo et principaliter ipsius dei intuitu ac etiam propter ipsius multimoda grata et fidelia nobis quam plurimum exhibita servitia et nihilominus succedente tempore peramplius exhibenda, novam praebendam canonicalem condidimus, fecimus et instauravimus cum parvo theloneo dicto vulgariter cleynzol in Indagine trans